

sum non aperte damnasset, non nisi cum protestatione et provocatione ad futurum Concilium discesserunt: nec satis acquiescebant Petrus de Alliaco et Joannes Gerson, eo quod condemnationem libri Joannis Parvi de Tyrannicidio obtinere nequiverint; causis hujusmodi necdum examinatis penitus, vel sententia conciliaris tractationis non indigente.

III. Præmittimus huc ex monumentis Conciliaribus referre tum decreta Sessionis 43^æ certa de Exemptionibus, Unionibus, Fructibus pereipiendis, Simonia, Dispensationibus, Decimis aliisque oneribus Ecclesiasticis, vita et honestate Clericorum; tum Concordata cum Natione Germanica: quia priora in Conciliis aliis præsertim Tridentino, uberius tractata et certius definita habentur: posteriora autem ad quinquennium duntaxat statuta fuerant. Damus autem quæ in Decreto Episcopis ac Inquisitoribus adscripto ad tentandam suspectorum fidem quærenda proponuntur, et Summariam actorum Concilii et confirmatorum notitiam præbent. Præcipua eorum et magis universalialia sunt sequentia:

Utrum credat, teneat et asserat, quod Concilium generale quodlibet, et etiam Constantiæ, universam Ecclesiam repræsentet? quod illud, quod Conc. Constantiense, universam Ecclesiam repræsentans, approbavit in favorem fidei et salutem animarum, sit ab universis fidelibus tenendum? et quod condemnavit, esse fidei vel bonis moribus contrarium, ab eisdem sit tenendum pro condemnato? quod Joannes Wicleff, Joannes Huss et Hieronymus de Praga fuerint hæretici et pro hæreticis reputandi; et libri et doctrinæ eorum fuerint et sint perversi, propter quos et eorum pertinacias per Concilium pro hæreticis sunt condemnati? quod sententia Conc. Constantiensis super 45 Wicleffi et 30 Hussi articulis lata, sit vera et catholica: scilicet, quod supradicti articuli non sint catholici, sed quidam ex iis sint notorie hæretici, quidam erronei, alii temerarii et seditiosi, alii piarum aurium offensivi? quod non in nullo casu sit licitum jurare? quod ad mandatum judicis, juramentum de veritate dicenda, vel quodlibet aliud ad causam opportunum, etiam pro purificatione infamiae faciendum, sit licitum? quod perjurium scienter commissum, ex quacumque causa vel occasione, pro conservatione vite corporalis propriæ vel alterius, etiam in favorem fidei, sit mortale peccatum? quod deliberato animo contemnens ritum Ecclesiæ, cæremonias Exorcismi et Catechismi, aquæ baptismatis consecratæ, peccet mortaliter? quod post consecrationem Sacerdotis, in Sacramento altaris, sub velamento panis et vini non sit panis materialis et vinum materiale, sed idem per omnia Christus, qui fuit in cruce passus, et sedet ad dexteram Patris? quod facta consecratione, sub sola specie panis tantum, et præter speciem vini, sit vera caro Christi et sanguis et anima et Deitas et totus Christus, ac idem corpus absolute et sub una qualibet illarum specierum singulariter? quod consuetudo communicandi personas laicales sub specie panis tantum ab universa Ecclesia observata, et per Conc. Constantiense approbata, sit servanda sic quod non liceat eam reprobare aut sine Ecclesiæ auctoritate immutare: et quod dicentes pertinaciter oppositum, tanquam hæretici vel sapientes hæresin, sint arcendi et puniendi? quod Christianus contemnens susceptionem Sacramentorum confirmationis vel extremæ unctionis, aut solemnizationis matrimonii, peccet mortaliter? quod Christianus ultra contritionem cordis, habita copia Sacerdotis, soli Sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneat-

tur; et non Laico quantumvis bono et devoto? quod Sacerdos in casibus sibi permissis possit peccatorem confessum et contritum a peccatis absolvere, et illi pœnitentiam injungere? quod malus Sacerdos cum debita materia et forma, et cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, vere conficiat, vere absolvat, vere baptizet, et vere conferat alia Sacramenta? quod B. Petrus fuerit Vicarius Christi habens potestatem ligandi et solvendi super terram? quod Papa canonice electus sit successor B. Petri, habens supremam auctoritatem in Ecclesia Dei? quod auctoritas jurisdictionis Papæ et Episcoporum in solvendo et ligando sit major auctoritate simplicis sacerdotis, etiamsi curam animarum habeat? quod Papa omnibus Christianis vere contritis et confessis, ex causa pia et justa, possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum, maxime pia loca visitantibus, et ipsis manus suas porrigentibus adjutrices? quod ex tali concessione visitantes Ecclesias ipsas, et manus adjutrices eis porrigentes, hujusmodi indulgentias consequi possint? quod singuli Episcopi suis subditis, secundum limitationem canonum, indulgentias hujusmodi concedere possint? quod licitum sit Sanctorum reliquias et imagines venerari? quod religiones ab Ecclesia approbatæ, a sanctis Patribus rite et rationabiliter sint introductæ? quod Papa vel alius Prælati, vel ipsorum vicarii, possint suum subditum Ecclesiasticum sive secularem, propter inobedientiam sive contumaciam, excommunicare ita quod talis pro excommunicato sit habendus? quod inobedientia sive contumacia excommunicatorum crescente, Prælati vel eorum vicarii habeant potestatem aggravandi, interdictum ponendi, et brachium seculare invocandi; et quod illis censuris per inferiores sit obediendum? quod iidem habeant potestatem Sacerdotes et Laicos inobedientes et contumaces excommunicandi, ab officio, beneficio, ingressu Ecclesiæ, et administratione Sacramentorum suspendendi? quod liceat personis Ecclesiasticis absque peccato habere possessiones hujus mundi et bona temporalia? quod Laicis ipsa ab eis auferre potestate propria non liceat; imo quod sic auferentes, tollentes et invadentes bona ipsa Ecclesiastica, sint tanquam sacrilegi puniendi, etiamsi male viverent Ecclesiastici bona hujusmodi possidentes? quod hujusmodi ablatio et invasio cuicumque Sacerdoti, etiam male viventi, temere et violenter facta vel illata, inducat sacrilegium? quod liceat Laicis utriusque sexus, viris scilicet et mulieribus, libere prædicare verbum Dei? quod singulis Sacerdotibus libere liceat prædicare verbum Dei, ubicumque, quandocumque et quibuscumque placuerit, etiamsi non sint missi? quod omnia peccata mortalia, et specialiter manifesta, sint publice corrigenda et extirpanda?

CONCILIIUM GENERALE BASILEENSE.

I. Quod in Conc. Constantiensi *Papiam* indictum erat Concilium, statuto etiam tempore, A. scilicet 1423. MARTINUS V. celebrare studuerat, missis illuc Legatis; sed pestifera lue ibidem grassante, Senas transferri oportuit. Habita hic Sessione, cum Wicleffitarum et Hussitarum hæresis iterato damnata, atque de restauranda Græcorum unionem cœptum esset, ob Patrum paucitatem, bellorum et schismatis ab Alphonso Aragonio intentati metum, resque Græcorum adhuc impeditas, in septennium prorogata est Synodus, ac Basileam indicta. Sex in bulla Convocationis dein a MARTINO edita numerantur

causae: extirpatio nempe haeresum, Graecorum unio, declaratio veritatum fidei, compositio pacis inter Christianos Principes belligerantes, reformatio Ecclesiae in capite et membris, et restauratio antiquae disciplinae. Curam tamen ipsius Concilii Martinus V. eodem Congregationis anno mortuus, gerere non potuit, sed EUGENIUS IV. successor; qui datam a Praedecessore legationem et praesidii provinciam Juliano Caesario Cardinali confirmavit. Pro duplici hunc Pontificem inter ac Concilium orto dissidio, et interposita utriusque conciliatione, triplex epocha, non gestorum tantum, sed et adjunctorum differentia numeranda venit.

In epocha 1^a. ubi dissolutio Concilii tentabatur a Pontifice, Patres confluerunt numero non admodum magno, adeo ut Episcopi, ex aliquorum calculo octavum, ex aliorum autem quartum et decimum non superarent; quibus Julianus memoratus praesedit, et ipse ultra primam Sessionem praesidium non tuitus: in 2^a. qua Concilio sociabatur Pontifex, inter Patres aderant Praelati centum, non tamen Episcopi omnes: Praesidum autem, Eugenii loco; munus gerentibus Nicolao Cardinali, Juliano jam dicto, Joanne Archiepiscopo Tarentino et Ludovico Abbate S. Justinae: in 3^a. ubi jam decreta erat translatio Concilii, et subin etiam *Ferrariam* facta, numerum faciebant Presbyteri, non autem Praelati; ex quibus unus duntaxat Cardinalis, pauci erant Episcopi; Praesidem ipso Concilio sibi creante Ludovicum Alemannum Cardinalem Arelatensem. Haesit sub triplici hac vicissitudine Concilium semper Basileae in Germania ad Rhenum superiorem: et initium quidem habuit 14^a Decembr. A. 1431; finem autem epocha prima, die 5^a Februar. A. 1434; secunda, die 7^a Maii A. 1437; tertia, die 16^a Maii A. 1443.

II. Sess. 1^a. Lectis Constantiensi statuto et Senensi decreto, nec non MARTINI convocatoria, Eugenii autem confirmatoria bulla, declaratur legitima Concilii congregatio: proponitur multiplex ejusdem finis; commendantur observanda; deputantur officia. 2^a. Cum jam innotuisset EUGENIUM Pontificem de Synodo dissolvenda statuisset, declaratur Basileense Concilium legitime inchoatum: innovantur decreta Sessionis 4 et 5 Concilii Constantiensis, tanquam auctoritatem Synodi generalis supra Pontificem universim statuente; decernitur *Basileense* esse Concilium ejusmodi, quod representet universalem Ecclesiam, et immediate a Christo potestatem habeat, nec a Papa dissolvi aut transferri possit; cujus etiam sine consensu e Synodo evocari nemo, nemo ab illius accessu prohiberi queat a quocumque. 3^a. Audito EUGENII decreto, quo praesertim ob unionem Bononiae, in urbe a Graecis delecta faciendam, dissolvebatur Concilium, et illam in urbem indicebatur; declaratur attentata haec dissolutio nulla et irrita: repetitur prioris Sessionis decretum de auctoritate Concilii: monetur Eugenius revocare suam bullam, et intra trimestre cum Cardinalibus adesse ipse, vel per Legatos. 4^a. Bohemis aliisque ad Concilium venire volentibus, conceditur commeatus liber amplissimus: prohibetur, pro casu electionis Papalis forsam faciendae, ea alibi fieri quam in loco Concilii: decernitur obligationes quascumque aut censuras, accessum ad Concilium impediens, nullatenus tenere: Imperatur Pontifici, durante hoc Concilio, abstinere a creatione Cardinalium. 5^a. Constituuntur iudices in causa fidei aliisque negotiis: decernitur nullum ex Patribus aut Concilio assistentibus, invitum Basilea evocari ad qualemcumque iudicem Ecclesiasticum posse: audiuntur Oratores Pontificii; et disceptatur de Con-

cilii auctoritate. 6^a. Accusatur Pontificis et Cardinalium absentium contumacia. 7^a. Repetitur decretum de non eligendo Pontifice extra locum Concilii; pro quo casu electionis tempus ampliatur: beneficia Cardinalium contumacium permittuntur Ordinariis. 8^a. Prorogatur veniendi terminus Pontifici citato; Praesules autem sub poena privationis beneficiorum sine mora adesse jubentur: decernitur unicum tantum esse posse Concilium generale: statuitur excommunicationem incurtere eos qui Bononiae congregare se tentarent. 9^a. SIGISMUNDI Imperatoris et WILHELMII Bavariae Ducis protectio acceptatur; qui contra censuras muniuntur, iis autem adversantes excommunicatione terrentur. 10^a. Accusatur iterato Eugenii contumacia; et instituendae in eum actionis iudices deputantur. 11^a. Proponitur explicatio intentioni Patrum accommodata decreti Sess. 4. a Conc. Constantiensi editi. 12^a. Repetitur decretum de auctoritate Concilii suprema: dantur Eugenio alterae veniendi induciae: jus sacrarum electionum confirmatur; reservationes Pontificiae restringuntur; simoniace electiones irritantur. 13^a. Eugenius tertio postulat contumaciae: datur nihilominus eidem prorogatio termini. 14^a. Interventu Imperatoris et CAROLI VII. Francorum Regis, Pontifice ad cedendum inclinato, praescribitur formula qua conciliatio fieri possit ac debeat. 15^a. Decernitur Synodum Diocesanam quidem quotannis, Provinciale singulis bienniis esse celebrandam. 16^a. Eugenius, litteris per Oratores oblatis, revocat decretum de Concilio dissolvendo; abolet censuras, suspensiones et privationes tribus bullis hactenus latas; declarat Concilium ab initio legitime continuatum et porro continuandum, ac si nullum unquam dissolutionis decretum emanasset: Synodus e contra suae postulationi satisfactum declarat; ipsas litteras approbat, et in acta refert.

Sess. 17^a. Legati Pontificii, nomine, vice ac loco EUGENII, admittuntur in Concilii praesides. 18^a. Quasi ex Concilii Constantiensis decretis renovantur saepius jam statuta de superioritate Concilii et subjectione papa; sed absentibus Legatis Pontificiis et praesidibus Concilii. 19^a. Agitur de loco Concilii pro Graecorum unione celebrandi: vetatur communicatio cum Judaeis: decreta de eorum compulsione ad verbum Dei audiendum, et de docendis ac discendis linguis Orientalibus renovantur: monentur Ordinarii ad curam Neophytorum habendam; fideles omnes ad subsidia iisdem ferenda. 20^a. Statuuntur poenae in Clericos concubinos, concubinas, et proles ex illis natas: nominatim vel notorie excommunicatos tantum vitandos esse decernitur: vetatur locum subijcere interdicto ob culpam privatae personae, nisi haec nominatim excommunicata a loci domino vel magistratu fuerit retenta: rejicitur appellatio secunda ab interlocutoria vel super gravamine eodem. 21^a. Annatae pro beneficiorum collatione, electionum confirmatione, postulationum admissione, aut pro praesentatione datae reprehenduntur ut simoniace et abrogantur: statuitur pacifico beneficii per triennium possessori litem moveri non posse; eduntur decreta de modestia in divinis officiis et reverentia templis debita. 22^a. Damnatur libellus Augustini de Roma ord. Erem. S. Aug. de Christo et Ecclesia; in quo praeter alia dicebat Christum quotidie peccare, intelligendo tamen id de ejus membris seu fidelibus, quos cum capite unum Christum facere dicebat. 23^a. Decreta circa electionem Pontificis lata, variaeque eidem leges praescriptae innovantur: numerus Cardinalium ad 24 restringitur; qui de omnibus nationibus assumendi et Theologiae vel Cano-

num Doctores esse decernuntur. 24^a. Pacta conventa cum Græcis de celebrando in Occidente pro unione Concilio confirmantur: publica iisdem fides datur: plenissima indulgentiæ conceduntur iis qui pro Græcorum subsidio darent tantum quantum ipsi una hebdomada consumerent. 25^a. Oritur dissidium inter Patres de loco futuri cum Græcis Concilii, Pontificiis Legatis et præsulibus plerisque decretum ferentibus pro Florentia vel Utino, aliis plerisque secundi ordinis Sacerdotibus, duce Ludovico Arelatensi Cardinali, Basileam aut Avenionem deligentibus. Dissidio ad Pontificem delato, is postea parti priori et saniori accessit.

Sess. 26^a. Pars numero quidem major sed auctoritate minor, ubi certior facta fuit de Pontificia approbatione sibi contraria, multorum criminum immerito accusat EUGENIUM, et in jus vocat pro arrogata Concilii superioritate, intercedente incassum parte contraria. 27^a. Ab eadem interdicitur Eugenio nova Cardinalium creatio: decretum nomine Synodi a parte saniore, pro designanda Florentia aut Utino in Concilii cum Græcis celebrandi locum, editum declaratur falsum: prohibetur venditio aut oppignoratio urbis Avenionis, quam pro Græcorum subsidio tentari a Pontifice erat suspicio. 28^a. Accusatur et declaratur Eugenius contumax. Is eadem die 31^a Julii A. 1437. edito diplomate Concilium Basilea Ferrariam transfert; dierum tamen 30 spatium adhuc concedit pro causa Bohemorum Basileæ terminanda. 29^a. Translatio Concilii a Pontifice facta declaratur irrita; quam revocare Eugenius jubetur sub pœnis intentatis: vetatur ne quis Eugenium audiat vel sequatur. 30^a. Declaratur fidei dogma de præsentia Christi in qualibet specie Eucharistica, neque præcepto ullo divino adstringi non sacrificantes ad communionem sub utraque specie. 31^a. Eduntur decreta quibus rejiciuntur frivole ad Romanam Curiam appellationes, revocantur et prohibentur gratiæ expectatiivæ ac reservationes Pontificiæ, imperatur præbenda Theologica in Ecclesia Cathedrali, ordinatur de tertia parte beneficiorum graduatis conferenda: Eugenius declaratur contumax, et suspenditur ab omni jurisdictione. Ab hoc tempore seu initio anni 1438, profecto Ferrariam Juliano Cardinali, Ludovicus Arelatensis Concilii præsidem agit.

Sess. 32^a. Damnatur Concilium Ferrariense cum EUGENIO; omnia ejus acta et agenda irritantur; qui ei intersunt, excommunicantur. 33^a. Tanquam veritates fidei statuuntur: Concilium generale habere potestatem supra Papam; nec hunc posse prorogare, transferre aut dissolvere Concilium hujusmodi legitime congregatum; qui contrarium senserint hæretici declarantur. 34^a. Pronuntiatur depositionis sententia contra EUGENIUM, cum gravissimis calumniis. 35^a. Agitur de Concilii stabilitate, et electione novi Pontificis. 36^a. Doctrina de Immaculata Conceptione Deiparæ Virginis tanquam pia, consona cultui Ecclesiastico, fidei Catholicæ, rectæ rationi et sacræ Scripturæ declaratur; contrarium prædicare seu docere prohibetur; ejus solemnitas secundum Romanæ Ecclesiæ aliarumque morem celebrari præcipitur: indulgentiæ hanc celebrantibus erogantur. 37^a. Designatur locus, dies, et electores pro novo Pontifice eligendo. 38^a. Nominantur Officiales pro Conclavi, et 17. Novembr. A. 1439. a Cardinali Arelatensi Præsidente ac 32 viris ex diversis Nationibus ad id deputatis eligitur in Papam *Amedeus* Sabaudie Dux, ante quinquennium Rippalliæ Eremita factus. 39^a. Confirmatur electio Amedei. 40^a. Promulgatur obtentus tandem ab Amedeo consensus, illoque sub FELICIS V. nomine tan-

quam Papa omnibus honorandus proponitur, excommunicatione renuentibus intenta. 41^a. Sententia EUGENII contra FELICEM ejusque sectarios damnatur. FELIX altera post hanc Sessionem die in Concilio consecratur ab Arelatensi Episcopo et coronatur. 42^a. Pro habenda FELICIS sustentatione in quinquennium designatur quinta pars proventuum Ecclesiasticorum. 43^a. Festum Visitationis Beatissimæ Virginis, jam a BONIFACIO IX. tempore schismatis institutum, decernitur celebrandum. 44^a. Deliberatur de actorum et personarum Concilii securitate: decernitur ab Eugenio beneficiis privatos esse restituendos. 45^a. Decernitur Concilium post triennium Lugduni continuandum: ne tamen dissolutum jam penitus censeretur, Lausanam nunc translatum declaratur.

Nec Lugdunense Concilium effectum habuit, nec Lausanense quidpiam memorabile gessit, nisi quod FELIX hortatu FRIDERICI Cæsaris ad pacem Ecclesiæ dandam Antipapatu suo A. 1449. consentientibus etiam olim Basileensibus, se abdicavit, et NICOLAUM V. EUGENIO ante biennium mortuo substitutum agnovit Papam legitimum. Hic contra triplici constitutione, et *Amedeum* renuntiavit Sabinensem Episcopum, Cardinalem primum et in Sabaudia alibique Legatum perpetuum, additis aliis honorum testimonio-nibus, et omnia ab eodem acta tam justitiam quam gratiam spectantia confirmavit; et adhærentes eidem in integrum restituit; et omnia contra illos dicta vel scripta, nulla et irrita declaravit.

III. A documentis hujus Concilii referendis tanto facilius abstinemus, quanto minus illa auctoritatis habent; cum decretorum nulla approbatio Pontificia extet, Germania post Concilium divisum partes neutras sit secuta, Gallia vero sanctionem pragmaticam ex illis compilatam commutari in Concordata aut voluerit aut sustinuerit. Pro notitia tamen Theologica breviter annotare juvat quæ a Concilii Legatis in Bohemorum reducendorum causa fuerunt gesta.

Damnatione per Conc. Constantiense in *Wicleffi* ac *Hussi* errores lata, sumptaque de postremo ac *Hieronymo Pragensi* pœna, adeo Bohemiæ pax non est reddita, ut potius Religionis dissidium in bellum tristissimum eruperit. In eo cum sub antesignano *Joanne Zisca* primum, dein sub *Procopio Raso* hæretici plerumque victores, non jam frangendi armis, sed pacis artibus expugnandi viderentur; tum litteris tum legationibus honore et charitate plenissimis ad Concilium tentandamque in eo unionem invitabantur. Accepta fide publica, suffragio Nobilitatis vincente vota populi, ineunte A. 1433, advennerunt a Bohemis missi Oratores, pacem ac unionem polliciti, siquidem de quatuor articulis sibi satisfaceret: nempe: 1. in concedendo calicis usu; 2. in asserenda homini privato facultate plectendi publica scelera; 3. in permit-tenda cuilibet libertate prædicandi; 4. in prohibenda Clericis bonorum temporalium possessione. Actum est de singulis in Congregationibus Basileensibus; pro illis articulis, et quidem pro primo, Joanne Rokisana Legationis Hussificæ Principe et Pseudo-Archiepiscopo Pragensi; pro secundo, Wenceslao Taboritarum oratore; pro tertio, Widarico Orphanorum presbytero; pro quarto, Petro Payne Anglo perorantibus: contrarias ex ordine orationes per plures dies eloquentibus Joanne de Ragusio FF. Prædic. Procuratore generali, Ægidio Carlerio Decano Cameracensi, Henrico Kalteisen FF. Præd. Doctore Coloniensi, Joanne de Polemar Archidiacono Barcinonensi. Disputationibus nihil proficientibus, cum Bohemi reditum ad suos urgerent, Concilium Legatos

suos adjunxit, qui tractatus ceptos continuarent, eventu haud feliciori forsitan potituros, nisi caeso ad Pilznam Procopio, et Nobilitate praevalente, Tabularum et Orphanorum audacia cecidisset. Abhinc enim mollius jam auditis Legatis, prope finem A. 1433. scribi Pragae ceperunt Compactata: quibus dum plura addi aliaque concedi, per litteras subin ac missos Basileam rursus Legatos, frustra esset postulatum, ea tandem A. 1436. Iglaviae consummata sunt et firmata. In his Legati quidem Concilii usum calicis, adjecta tamen cautela, indulserunt; et de capitibus reliquis Catholicam doctrinam a postulatorum mente alienam exposuerunt: Bohemi autem declarationem doctrinae datam se recepturos, et dispensatione ad praescriptam normam usuros pollicebantur. Ex his compactatum de Eucharistia integrum hic damus, simulque adjicimus de eadem decretum fidei, juxta communionem opinionem sessioni 30^{ae} insertum, ab Augustino tamen Patricio ad 25^{am} relatum, et hinc communi Patrum consensu conditum. Compactatum de Eucharistia sic habet: *Ut Bohemis ac Moravis suscipientibus Ecclesiasticam unitatem ac pacem realiter et cum effectu, et in omnibus aliis, quam in usu communionis utriusque speciei, fidei et ritui universalis Ecclesiae conformibus, illi et illae, qui talem usum haberent, communicarent sub duplici specie, cum auctoritate Domini nostri Jesu Christi et Ecclesiae sponsae ejus. Et hunc articulum in sacro Concilio discussum iri quoad questionem de praeepto, et constituendum quid circa illum articulum pro catholica veritate sit tenendum et agendum ad utilitatem et salutem populi christiani. Et omnibus mature pertractatis, si nihilominus in desiderio communionis sub duplici specie perseveraverint, sacrum Concilium Sacerdotibus dictorum Regni et Marchionatus, communicandi sub utraque specie populum, eas videlicet personas, quae in annis discretionis constitutae reverenter et devote postularent, facultatem in Domino pro eorum utilitate et salute concessurum. Hoc semper observato, quod Sacerdotes sic communicantibus semper dicerent: ipsos firmiter credere debere, quod non sub specie panis caro tantum, nec sub specie vini sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integer et totus Christus. Concilii decretum ita definit ac disponit: Decernit et declarat eadem sancta Synodus, quod fideles Laici sive Clerici communicantes, et non conficientes, non adstringantur ex praeepto Domini ad suscipiendum sub utraque specie, panis scilicet et vini, sacrum Eucharistiae Sacramentum. Sed Ecclesia, quae regitur Spiritu veritatis secum manente in aeternum, et cum qua Christus manet usque ad consummationem saeculi, ordinare habet, quomodo ipsis non conficientibus ministretur, prout pro reverentia ipsius Sacramenti et salute fidelium viderit expedire. Sive autem sub una specie sive sub duplici quis communicet, secundum ordinationem seu observationem Ecclesiae, proficit digne communicantibus ad salutem. Nec ullatenus ambiendum est, quod non sub specie panis caro tantum, nec sub specie vini sanguis tantum, sed sub qualibet specie est integre totus Christus. Laudabilis quoque consuetudo communicandi laicum populum sub una specie, ab Ecclesia et sanctis Patribus rationabiliter introducta, et hactenus ditissime observata, et a Doctoribus divinae legis sacrarum Scripturarum et Canonum multam peritiam habentibus, jam a longevo tempore commendata, pro lege habenda est; nec alicui licitum est reprobare, aut sine auctoritate Ecclesiae ipsam immutare. Quid porro superiore indulgentiae promissione effectum fuerit, narrat Jacobus Card. Papiensis, dum L. 6. Com-*

mentariorum scribit, Bohemos ex illo tempore non petiisse Calicem, non indulsisse Synodum ultro, a Romano etiam Praesule tale quidquam nec postulatum esse, nec comprobatum: ipsos etiam, qui Compactatis se defendere solebant, illa eadem contempsisse verius quam non servasse: siquidem pueris passim et dementibus, non de pane tantum, sed et de Calice ministrasse; invitos quoque et non postulantes ad Calicem adegisse; Sacramenta Ecclesiae et sepulchra publicosque honores iis qui illum non vellent, per injuriam ademisse; de mysterio etiam tam panis quam vini nihil plebibus juxta conditum annuntiasse: postremo nec Romanae Sedis institutis, a qua longe errabant, in caeteris assensisse, compertum habetur.

ARTICULUS II.

Penes quem jus sit convocandi Concilium generale, et convocato praesidendi?

139. *Nota.* Convocare non tantum dicitur is, qui voce aut litteris indicit locum diemque Concilii, atque ad id invitat aut evocat; sed qui jure haec agendi pollens, consentit aut petit indici ab alio, vel indictionem saltem ratam habet. Similiter praesidentis quidem munus est, praeter honorem sessionis et suffragii praecipuum, dirigere conventum, proponendo tractanda, concludendo determinata, et pronuntiando ac promulgando conclusa: neque tamen aut per seipsum, aut haec omnia simul necessario praestat; sed satis est vel per Legatos ea facere, vel quaedam tantum praestare, aliis aliorum industriae permissis. De gemino hoc munere una agimus: quia sicut utriusque eadem sunt fundamenta; sic diverse licet sentientium eadem est responsio. Et Catholici quidem plerique Pontifici Romano utrumque officium tribuunt; posteriorum autem temporum sectarii seculari Magistratui, praesertim Imperatori delatum volunt; quibus se jungunt nonnulli politici, qui religionis negotia supremam Reipublicae potestati non tantum protegenda, sed et judicanda subjiiciunt.

Agitur autem hic unice de Concilio generali: quia utraque pars facile convenit, Synodi Dioecesanæ Episcopum, Provincialis Archiepiscopum, Nationalis Patriarcham vel Primatem esse auctorem ac praesidem; altera autem potestatem in generale Concilium ex illa in minores coetus, vel vicissim, deducit.

140. *Dico I.* Jus convocandi generale Concilium ordinarie spectat ad summum Pontificem. *Prob.* Qui ex auctoritate Christi habet curam et providentiam universae Ecclesiae, praepositus est pascere oves et agnos, h. e. jurisdictionem exercere in fideles et pastores, omnes denique Ecclesiastica potestate cogere valet; ad eundem spectat jus convocandi Concilium generale: tum quia hoc est juxta Matth. 18. *In nomine Christi congregare* universam Ecclesiam, quam Concilium generale repraesentat; tum quia sicut politica potestas convocandi comitia Regni aut Reipublicae pertinet ad supremum inter omnes aut primum; sic Ecclesiastica potestas congregandi fidelium Concilium ad Ecclesiae Primatem aut Principem spectat. Sed solus Pontifex Romanus, nullus autem politicus magistratus, ex auctoritate Christi hanc curam, praefecturam ac potestatem tenet; ut ex Cap. seq. constat: ergo et solus Pontifex Romanus jus possidet convocandi Concilium generale.